

infra dicendis, & ex dictis in primo, & secundo argumento, sequi ex positione antecedentium, & prædeterminatum decretorum Dei, nullum prorsus futurum dignum oburgatione, eò quòd talia decreta libertatè omnimodè adimerent, & ita ex eorum positione, etiam Adæ peccatum, in quo defacto omnes facti sumus massa læ, & contumelia, euanesceret; quid autem iuuat dicere Scripturam esse vndiq; plenam similibus oburgationibus; est ne aliquis, qui id neget? quia ergo hoc verum est, inde dico conficta esse decreta prædeterminantia, quibus meritum, & demeritum euacuerentur.

74 Tertiò dicunt per nostrum argumentum improbari efficaciam diuinæ gratiæ, quã habet ex se. Sed nego hæc improbari. Ergo dicent, cur negas decreta Dei efficaciam? dico negare, quia vt determinatiua efficaciter voluntatis creatæ, auferrent libertatè; quàm ergo, subiungent, efficaciam concedis gratiæ diuinæ? Respondeo non posse id dicere, quoniam prohibitum est per Sanctam Sedem. Quia tamen hæc prohibitio non fuit facta, vt catholici adhuc impediatur ab impugnandis, & conuincendis hæreticis, errantibus in materia de Gratia: sed potius ad euitandas lites inter Catholicos ipsos, cum agam contra Iansenium, qui ideò attribuit ex Augustino hominibus post lapsum necessitatem ab indifferentia, quia ex Augustino decretum, & gratia efficax indifferentiam propellunt omnem à creatâ voluntate, ibi, quantum fas erit, ostendam, vt Iansenistas conuincam, quæ efficacia ex se in gratia ex Augustini doctrina colligi valeat, ad expugnandam necessitatè, quã confingunt.

75 Quarto asserunt argumentum iam factum in tantum procedere, vt non aliter Deus possit conqueri de peccatoribus præ iustis, nisi dicatur discretionem iustorum ab impijs esse à nobis, & non à Deo, quòd, cum aduersetur doctrinæ Apostolicæ, debemus illud soluere omnes Catholici, vel omnes recurrere ad profunditatem iudiciorum Dei. Sed hic confundunt, non discernunt aduersarij inter discretionem iustorum ab impijs, & discretionem impiorum à iustis; verum, & catholicum est iustos ab impijs discerni à Deo per suam gratiosam misericordiam, quæ ex eadem massa perditionis, aliquos, quos voluit, condidit in vasa honoris; massa tamen hæc, in qua qui remanent vasa iræ, apta sunt ex se in perditionem, hoc est voluntate primi parentis, omnibus posteris moraliter communi, non facta à Deo; hæc inquam, infectionis massa ratione propriæ indignitatis discernit se à segregatione iustorum, & non voluntate Dei, qui homi-

nem condidit rectum, & ad sui imaginem. Qui item in eadem massa permixtos magis, ac magis peccatores sunt, seipso, per se ipsos discernunt à iustis: nec id habent ratione Dei volentis materialia peccatorum, à quibus, cum non possit homo segregare malitias, consequens esset, vt etiam à Deo in maiores implanarentur culpas. An ignorat aduersarij, quòd homo ab intrinseco potes est in malum, eò quòd potest ex se tendere in delectabilia, non curando de prohibitione, vel difformitate ad rationem: non ita tamen ex proprijs intrinsecis est potens bonum: & ideo etiam ab initio conditionis, vt potuerit bonum, indiguit iustitia originali, & Gratia eleuante. Vt ergo homo, amissa iustitia originali, & additus massa perditionis, ab ea separetur, opus est misericordis Dei gratuito; vt autem alij ratione originalis, vel etiam propriorum peccatorum discernantur à iustis, sufficit quòd negatiuè se habeat Deus, non impertiendo misericordiam indebitam; ceterum quilibet ipsorum, tum per originalem, tum per actualia, tribuente Deo concursum indifferentè, & vires sufficientes, se discernit, & magis, ac magis à iustis.

76 Iuxta ergo hæc doctrinam, quæ cuilibet nota est, nec quoad hoc prædictum punctum formalis discretionis profunditatem nullam continet, euidens etiam fit, quò pacto decretis prædeterminatiuis Dei depulsis in ordine ad actus liberos creatæ voluntatis, & admissis solum indifferentibus, tanquam completiuis potentiæ eiusdem voluntatis, non tantum iustissimè Deus conqueritur de peccatoribus omnibus secundum se, & absolute: verum etiam ferè de omnibus, post vsuram rationis adiacentibus peccata ad peccata; aut saltem de pluribus, potest comparatè ad alios conqueri, & oburgare, sicut fecit cum Corozaitis, & Bethsaiditis relatè ad Tyrios, & Sidonios; eum enim ad malum, sufficiat homo ex se, sicut etiam ad maius, vel minus malum, vel ad opera, nec mala nec bona, si dari possunt in actu practico, possunt homines ex seipsis fieri magis, vel minus mali, cuitando scilicet maius peccatum ex amore minoris: v.g. odium proximi, ne ab eodem incurrat aliquod malum: occisionem hominis, ne cogatur exulare, vel voluere pecunias; fugere fornicationem ex amore extimationis vanæ hominum, &c: alij verò econtra, maiori callentes malitia, ad plura labi, & in maiora ruere. His autem positis, quæ nemo rationis compos inficiari potest, quis non videt quòd maior requiratur gratia, vt possint à peccatis retrahi magis habituati, & in pluribus; quàm minus habituati, vel in minoribus? hoc ergo